

etiam resolvamus. Verbo, ad expectorationem materia peccans reddenda est idonea, sic, ut non nimis tenuis, & non nimis crassa evadat, quæ etiam pectori minus facescit negotii.

XVIII.

Sicca vero tussis, magis humectantibus & demulcentibus solet obedire. Sylvius siccam tussim, a tempestate & potu frigido ortam, cohibito, quamdiu licet, spiritu, sæpe in totum cessasse, affirmat, quod forte discutit, sed sæpius frustra adhiberi crediderim. Baglivus L. I. c. de Tussi, laudat usum lactis, cum jure carnis, & in tussi sicca, ex humorum acrimonia, eorumque tenuitate producta, lactis usum, præstantissimum esse remedium confirmat. Et inter demulcentia omnino quandoque potest referri, si stomachus illud fert, & cruditates acidæ, quæ ejus coagulationem & corruptionem inferunt, non in primis viis dominantur. Si a rebus forinsecus in asperam arteriam illapsis, tussis excitatur, eo est allaborandum, ut mediante expectoratione, quod illapsum est, ejiciatur. Dari vero possunt demulcentia humida & ipsa volatilia ad suffocationem præcavendam. A tuberculo si oritur tussis, danda sunt quæ lymphæ acrimoniam corrigunt, & ejus circulum restituunt, in antecedentibus commendata.

XIX.